DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO,
VIRGINIQVE DEIPARÆ,
ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XX. NOVEMBRIS, M. GEORGIO IOVDOVYN Doctore Medico, Moderatore.

Estne decimestris partus perfectissimus? 899


RTA principiis respondent, Deus infinitatis suæ vestigia, creatis omnibus inesse voluit, perfectioribus accuratiora, quantum non noxia corpora tardant; in primis orbiculari conformatione, stupendorum naturæ & artis operum causâ, cuius beneficio cæli mouent, vt mouentur assiduò simul in aduersas partes, immobiles; generationis & interitus, tempora dirigunt; omniúmque sublunarium periodos metiuntur; quibus vndique circuli, & cyclophoriæ character imprimitur. Perfectissimum & optimum, quavis in re, naturæ finis est: cyclophoria tempore, natura, dignitate motuum primus, cæterorum finis est, efficiens, & mensura; cui nec addi potest nec detrahi, solus æquabilis & infinitus; semper est in fine, simul & ad finem; ideóque perfectissimus. Quapropter non solis corporibus inest, meræ figuræ communicatione; sed & humores, spiritus, functiones omnes, morbos, mores, & hominum cogitationes circulo moderatur, vt omnia circulo fiant, & constent.


N causarum naturalium connexa serie, quæ nobis intuentibus occurrunt, inter opus nobilissimum, & opificem potentissimum constituta; media sunt huius operis producendi, perficiendi, conseruandi; vel opificis organa diuiniùs agentis; in vnius vtilitatem nata, vnus omnium finis, & mensura. Homo illud est opus nobilissimum; vniuersæ naturæ τελείωσις, rerum omnium in Archetypum refluentium circuli centrum, & accurata ἀπομίμησις τοῦ ὅλου; opificis potentissimi, & perfectissimæ cyclophoriæ quæ solaris est reuolutione, dotibus omnium cumulandus: perfectissimus perfectissimâ cyclophoriâ debet absolui; nec dum numeris omnibus est absolutus, quin ad eam, quâ conceptus est tempestatem reuolutâ conuersione, relabatur. Hinc est vt singulis huius periodis, puelli in vteri latebris delitescentes viribus augeantur, aut grauiùs plectantur; hinc sanitas, & morbus; varij motus, & generandi lactis ἐπισημασίαι; abortus, & singula grauiditatis ἐπιφαινόμενα; quæ si velut in morbis, tempore non elucceant, fiunt infausti partus omina.


VARE, licèt homo libero spatietur orbe, vnus omnes omnium virtutes inuoluens; generandi perpetuum, & fortè pariendi semestre tempus obtineat; septimæ tamen quadragenariæ qualitatibus exornatus, & quartæ tempestatis, decimi mensis initio perfectissimus emergit. Septimestris, proportione quidem constat, & viuit; septem mensium lunarium viribus, & commutatione secundæ tempestatis, in asymbolam; vnde natiuus calor materiæ potens emicat, cuique fuerat satis à prima conformatione, cordis & arteriarum motus; transpirationis auxilio, naribus & ore respirationem, vsúmque materni lactis, refrigerio cogitur accersere. Vix tamen euadit ex multis vnus, siue nascantur septimo mense ineunte, siue exacto; quamuis corpore valentes, & σεσαρκωμένοι, repentinâ plurium mutationum vehementiâ pusilli impares occumbunt, facultatibus nondum firmati. Nec fugax ille septimestris vigor, vltra vnum vel alterum diem prorogatur, in octimestrem cacopathiam illico commutatus.


OETVS octimestris, à septimestri concussione, propter vmbilici tensionem, & alimenti locique mutationem grauiter ægrotans; vitales auras numquam diu traxit, accedente alterâ malorum iliade, quam partum comitari necesse est, & consequi, maximè dum temporibus malè ominatis contingit, quibus à natura nihil feliciter vnquam suscipitur, qualis est sexta quadragenaria, inertiâ senarij formidabilis. Vnde nouimestres ipsi vix enutriri queunt, viribus fractis, & ægritudine diuturnâ nondum perfectè functi, mutationes insignes subire coguntur, cuique periculosissimas. Et mox editis ἕκαστα χωρίζεται ῥέποντα κατὰ τὰς συλλοχίας, excrementa scilicet & alimenta, ductibus insuetis, singula suis locis dispensantur, tempore nec loco similia: Quique naturâ sapientissimâ duce regebantur omnia pro re natâ moderante; inanibus hominum studiis commissi, sæpe coguntur vtroque appetitu renuente cibos admittere, morborum lethalium causas; accedit ambientium durities insolens & asperitas; aërisque qualitatibus aduersi, tenella penetralia subeuntis iniuria, quæ viris ipsis, necis est causa frequentior.


ΡΑΤΙΣΤΕΥΕΙ τὰ τῷ ἡλίῳ συνεζωφῶτα, quadragenariis & tempestatibus, quibus Sol viuentium parens, omnia moderatur auctoritas prima judicandi. Harum viribus & qualitatibus asymbolis crebrò iactatus puer, denuò cuditur, & occursu contrariorum firmatus, tandem valentior euadit, temperiei veteris, & succi cuius concretione coaluit, dominatu. Singula suis & homophylis maximè vigent & augescunt: tempestas quæ posuit generationis nostræ rudimenta, eadem recurrens futuræ perfectionis, ortu opportuno promouet incrementa. Quapropter decimestris fœtus septem quadragenariarum periodo, quartæ tempestati restitutus incolumis, & sibi, paucis diebus multum proficit, repentè viribus insigniter auctis, & insito calore; vnde liberioris auræ cupidus, & externis iniuriis obsistere paratior, angustius domicilium effodit, & alienum locum fugiens, crebris ictibus vterum lacessit, cujus impulsu & conspiratione mutua, molestum pondus excutere nitentis, ἀναμείβει ἐς τὴν ἔξω χώρην, ὑπὸ βίης καὶ ἀνάγκης διωκόμενος.

Ergo decimestris partus est perfectissimus.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS TARDY Lingonensis. A. R. S. H. M. DC. XXXXII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,

M. Victor Pallu.
M. Georgius Ioudouyn, Præses.
M. Hugo Chasles.
M. Nicolaus Heliot.
M. Ioannes Vacherot.
M. Claudius Seguyn, Christianissimæ Reginæ Medicus Primarius.
M. Dionysius Guerin.
M. Ioannes Riolan, Christianissimæ Reginæ Matris Medicus primarius.
M. Michael Toutain.